

lapide, testam frangunt, et flavam five croceam partem, id est, ova, edunt, de quibus ita Perottus. Scinditur Echinus levi percussu, hirta testudo in duas partes dividitur: abjicitur altera, altera vero leviter aqua abluitur. Decidunt fordes, quae in iis pro visceribus sunt: remanent quinque partita ova, subrufa, ad stellae imaginem formata. Haec cruda fumuntur, sapore non injucundo, quamvis nescio quid amaritudinis habeant. Conditos mense Decembri olim, Palladius author est.

Plutarch. l. 1.
de virtut.
Mulier.
Dioscor. l. 2.
c. 1.

Quantum ad *usum Medicum*, *venenatos* quidam prodidere, Arcesilaumque Batti Eudemonis F. cum in lethalem morbum incidisset, marino Echino in potionem a Learcho sumpto, mortem obiisse, apud Plutarchum legimus: quod tamen apud nullum alium invenies. Testae crematae cinis, Dioscoride teste, *sordida ulcera* expurgat. Eaedem contusae et ex aqua illitae *luxuriantem carnem* comprimunt, et incipientibus *panis* resistunt. Ad *capitis manantia ulcera* valere, Rondeletius author est. Ad *abortum* eundem prodesse Aëtius prodidit.

Hippocr. l. 1.
de morb.
mulier.

Contra *urinae stillicidium* valere Paulus Jovius reliquit. Quippe, inquit, qui frigiditate maris praealti, in quo degunt, (sexaginta enim aut etiam amplius passuum gurgite oriuntur) ipsi quidem exigui sunt, sed aculeos grandes duosque gerunt. Causa magnitudinis est, quod incrementum corporis in ipsos convertitur. Cum enim parum caloris obtineant, neque concoquere possint, multum ob eam rem habent excrementi: aculei autem et pili, et reliqua generis ejusdem excremento nascuntur. Duri vero et rigidi paene lapidis modo constant propter frigus. Ad *secundas expellendas*, Hippocrates tres tenuiter tritos in vino odorato propinat. *Alopeciam*, cinis cum adipe porcino vel urfino sanat, etc.

Differentiae.

Differentiae Echinorum sunt variae. Sunt *Toronenses*, qui circa Toronem nascuntur. Candidi sunt, et spinis et testa, et ore, augenturque

forma productiore quam caeteri, estque iis spina parva, nec rigida, sed mollior. *Euphratenses*, quos Eratosthenes, ut est apud Strabonem, in insulis apud Euphratem, mirae magnitudinis esse prodit, alios pileis majores, alios *δυκοτύλες*. In mari Indico facile congiunt capiunt, si Aeliano adhibenda fides. *Balthici*, qui instar magni mali sunt, et in mari Balthico inveniuntur. Duros esse, punicei fere coloris, et spiculis ademptis maculosos, Gesnerus prodidit. Circa Daniam quoque et Norvegiam habentur. *Fluviatiles*, ut Hermolaus et Massarius ex Paulo Aegineta prodidere. *Purpurei* mixto virore, quales in scopulis quibusdam maris mediterranei aqua contextis, apud Antii reliquias, et juxta Bajas, reperiri scribit Perottus, tam grata oculis varietate, ut, si colores durent, nulla esset cum gemmis comparatio, sed mortuo pisce colores tabescunt. *Agiles*, qui velocius moventur, nec sunt edules. *Ἀβρωτοί* inde dicuntur. Calidiores quidem sunt, sed quia voraces iidem, et prae copia ingestorum cruditatem colligunt, ideo in cibos non veniunt. Bellochio si credimus, majores aculeos habent, sed crassitie minores sunt, vixque grandis gallinae ovum magnitudine excedunt. Diversa in eis colorum varietas. Sunt omnino nigri, albi, vitrei, rufi, flavi, cyanei. Quidam purpura splendent, subinde circumagentibus se igniculis, micantibus ad aculeos scintillae modo. *Ovarius*, ut Hermolaus vocat, quem Rondeletius ita descripsit. Forma ejus in rotunditatem conglobata est, dempta una parte parum compressa, in qua *os* est rotundum, quinque *dentibus* incurvis, intus cavis, et in idem punctum coeuntibus munitum: ii quinque maxillis internis connexi sunt, quae ab ore intus erectae, ex acuto in latum tendentes, et ambienti calyci non continuae. Inter dentes interna *caruncula* quaedam est, quae linguae vice est; mox jungitur *gula*, quae in *intestinum* definit longum, per testam stellatim dispositam, ejus tenuibus fibris

Strabo
Geogr. l. 16

III. 111

11111

11111

11111